Racc. Villarosa A. 124

CONSTITVTIONES SYNODALES


PRO NEAPOLITANA DIOECESI
AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINO

INNICO

MISERATIONE DIVINA
TITVLI SANCTI CLEMENTIS
PRESBYTERO
CARDINALI CARACCIOLO
IN METROPOLITANA ECCLESIA
PVBLICATÆ

Duobus Feſtiuis diebus Pentecoſtes 25. & 26.
Menſis Maij

ANNO SALVTIS M.DC.LXXVI.



Romæ, Ex Typograph. Reu. Cam. Apoſt. 1676.

Digitized by Google

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Innicus Miſeratione Diuina, Tituli S. Clementis, S. R. E. Presbyter Cardinalis Caracciolus Archiepiſcopus Neapolitanus.

Omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis, et Diœceſis Noſtræ Neap. ſalutem in Domino.

CElebraturi, Domino benedicente, noſtram tertiam Synodum Diœceſanam, omnibus, ad quos attinet, propinquam huius celebrationem publicis de more literis ante omnia denunciamus: idque non ſolùm, vt, qui interuenturi ſunt, ſtatuto quiſque tempore pro ſua obligatione ad hoc ſanctum, & maximè ſalutare opus maturè conueniat: ſed etiam, vt omnes felicem futuræ actionis euentum præmiſſis ad Deum precibus, & aſſiduis poſtulationibus continuè expoſcant; cum enim omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum ſit, & à Deo Patre luminum ad nos grata ipſius miſeratione deſcendat: neceſſe eſt, nos ipſos ad hunc ipſũ gratiæ fontem magno ſtudio, conſtantique fide ſolicitos accedere, quod ſi, vt veritas docet, nihil ſalutare ex nobis tamquam ex nobis incipere, & perficere poſſumus, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. profectò id maximè contingit, vbi de diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratione, deque commiſſi gregis incolumitate agere nos oportet; propterea nunc optandum, petendumque maximè eſt, vt à primo omnium Paſtore Chriſto deſcendat in miniſtros ſuos copioſa benedictio ad videndum vtilia, eademque viſa vtiliter ſtatuendum. Igitur innocato auxilio Dei Omnipotentis, per interceſſionem Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, D. Ianuarij, ac cæterorum ſanctorum, ſanctarumque omnium, tertiam Diœceſanam Synodum ſolenniter indicimus, indictamque ad hanc noſtram Metropolitanã Eccleſiam conuocamus; vt autem ijs, qui iure, aut conſuetudine intereſſe debent, manifeſta, & legitimè comperta ſit iſta conuocatio: neuè aliquis prætexere poſſit ignorantiam, aut prætermiſſum, deſpectumque ſe dicere; omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat in-

teruentus; præſenti Edicto in conſuetis locis multò ante expoſito, hanc ipſam voluntatem, & mandatum noſtrum ſignificamus, indicimus, denunciamus, præcipientes in virtute Sanctæ Obedientiæ ſub pœnis Canonico iure ſtatutis, vt omnes, & ſinguli, quorum intereſt, quique, vt ſupra, tenentur, die vigeſima quarta Maij menſis currentis huius ipſius anni 1676. in prædicta Eccleſia Matrice hora 10. per ſe, & non per alios ipſorum nomine (niſi legitima cauſa à nobis examinanda, & probanda impediat) cum honeſto habitu clericali, & ſuperpelliceis mundis ad Synodum celebrandā conueniant; interea hortamur, vt promulgata conuocatione Synodi, in omnibus Ciuitatis, ac Diœceſis noſtræ Eccleſiis Parochialibus, vſque ad eiuſdem Synodi abſolutionem celebretur miſſa de Spiritu ſancto, vel ſaltèm oratio, niſi occurrentis feſti ſolennitas prohibeat, recitetur: vt indè nobis auxilium veniat, vndè omnis ſpes, & fiducia noſtra ſumit initium. In quorum fidem has literas manu noſtra ſignatas per Magiſtrum Actorum confici, ſigilloque noſtro muniri, & promulgari, noſtræque Metropolitanæ, & Parochialium maiorum valuis publicè affigi iuſſimus: quam affixionem, & publicationem eam vim habere volumus, ac ſi ipſis ſingulis, ad quos ſpectant, illa allata, ac denunciatæ perſonaliter eſſent. Datum ex Palatio Noſtro Archiepiſcopali die 5. Maij 1676.

ORATIVNCVLA PARENETHICA
AD CLERVM.

AGri Dominici cultura, vbi Diuini ſanguinis fonte irrigata progerminauit, atque orta eſt aqua de fontibus Saluatoris, in vberrimam ſemper adoleuit ſpem feracitatis, & in dies magis creſcens, vſque ad miraculum ſpōdet meſſem nullo vnquam tempore defuturam. *Super torrē-tem orietur* (cecinit ſacer Vates) *in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum. Non defluet folium ex eo, & non deficiet* Ezechiel.
fructus eius. Per ſingulos menſes afferet primitiua: quia aqua eius de 47.
Sanctuario egredientur. Vana nimis, ſed longè his minora fuerant fæcunditatis portenta, quæ olim extulit Imperatori ſuo gratificaturus Claudius Mamertinus, dum ille per ſummam *In Panegir.*
adulationem Dijs antepoſuit Cæſaris beneficia. *Ecquis Deus,* *Iul. Imp. di-*
aiebat, *anno vno multiplices fructus agro vni dedit? Num quiſquam* *cto.*
in eodem nouali, æſtate vna, ampliùs quam ſemel meſſuit? Sed in noſtri Principis beneficio miraculo caret multiplicata fæcunditas. Mihi certè vnius anni vbertas eſt Conſulatus. Deindè cum ager aſſiduitate fructuum in maciem decoquatur, Imperatoris noſtri poſterior liberalitas vincit priorem, nec fit effœta gignēdo, ſed per vices fructuū fæcundatur. Hæc ille. Verùm enim verò blanda hæc ſileant Aſſentatoris deliria, vbi cultor terræ trans torrētem Cedron humanæ ſalutis Sator verus extitit Deus. Nō vna, nō triplex, non menſtrua, non annua, ſed in ſingulos dies, & horas multiplicata fertilitas in agro Chriſtiano viret; imò in ipſis ſeminibus, in culmo, in ariſtis, in ramis, in folijs præcoces redundant fructus, & meſſes cæleſtium gratiarum.

Verùm quam ferax eſt tellus, tàm indiga pariter culturæ; niſi enim perita manus Agricolæ, Coloniq; ſatiuo, diuturnoq; operi adijciatur, timendum ſanè, ne exuberantes rami, neue inutiles racemi ſuperfluam, & luxuriantem nimis extē-dant progeniem foliorum ad pompam, & non ad fructus natam. Annè vbi vindemia ſperabatur locuples, adeò fruſtrabitur Agricolæ ſpes, vt meritò cæleſtis Paterfamilias Prophetici Præconis voce exclamet; *Quid eſt, quod debui facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectaui, vt faceret vuas, &* *Eſai. 5. 4.*
fecit labruſcas? Porrò triplici induſtria cauendum eſſe Sacri Præcones ex Diuinis oraculis monent, ne caſſi ſint, infructuoſique culturæ labores, & vinea ſterileſcat; vt in ea excitetur turris ad ſpeculam, ſepes ad cuſtodiam, & torcular ad *D. Hilarius*

vin-

vindemiam; videlicet vt Eccleſiaſtici Præſules per eminentiam legis inuigilēt Populorum moribus; vt ſepem circumferant probi Sacerdotes, animarumque Cuſtodes; vt tādem, quaſi in torculari, quod premit, & cruciat carne contradicente Homines, diuinæ leges inculcentur. Oh liberaliſſimam Diuini Numinis beneficentiam! Non ſolùm palmites ſuos extendit, vſque ad mare hæc vinea electa, ſed cæleſtis Pater familias *ſepinit eam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea*, vt nulla ferè reperiatur pars terrarum, vbi fæcundiſſima germina non erumpant æuiternæ beatitatis. Maiores noſtri (vt cætera ſileam) intrà hos fælices Campaniæ fines, natiuæ ſoli vbertati parem, imò longè ſuperiorem ſanctimoniæ fertilitatem ſemper pullulare admirati ſunt; neque vnquam defuit Antiſtitum cultura, neque vnquam deſiderata Sanctorum germina, neque vnquam defecerunt Sacerdotum ad omnem pietatis inſtitutionem accommodata miniſteria. In peſſum ruerent profectò tàm commendata in ijs, & à Nobis imitanda præconia, niſi ſępè contrà reluctantis Naturæ impetum, quaſi in herbeſcente tellure admoueretur ferrum ad prauos eradicandos mores per nouas legum ſanctiones.

D. Chryſoſtomus.

Eſai. 5. 2.

In hac igitur vinea turris alta cernatur; vndè Epiſcopi, qui ex græco ethymo Speculatores nuncupantur ad explorandos Populi mores, vigilanter præſident, quaſi in excubijs. Arguendi porrò nimis illi forent, ſi excubantes ſemper non animaduerterent in Animarum pericula, opemque ferrent periclitantibus; qua de cauſa Sanctiſſimus Pontifex Gregorius Clero, & Nobilibus Neapolitanis ſcribens inſula indignum Petrum Diaconum electum Epiſcopum cenſuit, his verbis: *Noſtis, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum, verùm etiam de extrinſeca Subditorum vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſollicitus*. Auſpice Deo nacti fuimus, ò Neapolitani Ciues, pijſſimum æquè, & vigilē Præſulem, quem diù Nobis ſoſpitet Cælū; benè culta admodum viret tellus; fælicia redundant vbiq; germina; fauſtitatē pollicentur omnia; ſoli Cacodæmones inuidēt, indignantur. Tertia hæc iam Synodus celebratur; procul remoueantur Tartarei Hoſtis technæ, vbi ipſa Vigilia eſt ſpeculatrix.

Ex Iſidoro l. 7. Ethim. c. Cleros. & Clericos 21 diſt.

cap. Petrus Diaconus 39. diſt.

Attamen non ceſſat tenebrarum Amator, nec deficit ab inſidijs; deprauatam ſementem ingerere ſtudet, vt bonæ ſegeti officiat, & zizania ſupplantet, dum in nocte dormiunt

Homi-

Homines. Vndique circũſtant malorum agmina, ingenioſa ſunt ad maleficia, prompta ad malignitates Tartarei Hoſtis molimenta. Quapropter non ſolùm inuigilãdum eſt Cuſtodibus, ſed circumducta ſepe tota eſt vinea vallanda, ne proteratur, & adulterinis ſeminibus proſtituatur. Sacerdotes, atque Eccleſiaſticos Miniſtros præpoſuit Deus, tanquam ſepem, vt non ſolùm periculis præcauerent, ſed quaſi obiecto vndique vallo hoſtiles ſcelerum iniurias arcerent, retunderentque. Eia igitur, Neapolitani Cleri fæliciſſimi Cultores, ſepem hanc circumferre ſatagite. Nulli parcendum labori eſt. Sit efficax ad increpandum prędicationis vox; ad imbuẽdos bonis moribus animos diſciplina; ad auertenda Chriſtianorum detrimenta ſagax magiſterium. Iam flores apparuerunt in terra noſtra; tempus putaminis aduenit. *Non perijt vinea non perijt*, cum Bernardo loquar, *ſed migrauit, etiam creuit, & dilatata eſt, in fide plantata, in charitate mittit radices deffoſſa ſarculo diſciplinæ, ſtercorata Pænitentium lacrymis, rigata Prædicantium verbis; & ſic ſanè exuberans vino, in quo eſt lætitia, vino totius ſuauitatis. Hoc certè vinum lætificat cor Hominis; hoc cõſtat, & Angelos bibere cum lætitia; lacrymæ Pænitentium vinum ſunt Angelorum.* Vtinam ſemper hæc fœcunditas duret; vtinam demandemus Poſteris fæliciori ſtirpe, atque propagine, quam habuimus à Maioribus noſtris ſanctimoniæ hæreditatem. Vtinam nunquam degeneret terra hæc fructifera in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Vtinam ſemper nouelli fætus de veteribus meliùs, & fælicius poſſint progerminare caudicibus.

Cant. 2. 12

Pſ 106. 34.

S. Hilarius

At qui iam tempus vindemiæ aduenauit; quid reſtat, niſi vt torcular præparetur, quod vuas premat, dulcemque exprimat liquorem, vinum germinãs Virgines. Pro torculari leges interpretantur Sacri Scriptores, quę torquẽt quidem, & cruciant reluctantem naturam non ſine violentia, ſed ab aſperitate racemorũm vindicant fluentis dulcedinis mella; moreſque probos ſecernunt à vitijs. Audite D. Zenonis eloquium. *At vbi vindemiæ tempus aduenerit, decore diſſipato, paſſim vua decerpitur, prælo premitur, duabus tabulis vehementer vrgetur, donec omnis dulcedo medullitùs exigatur.* Quis autem renuat ſubdere prælo vuas, quod atterantur? Premunt quidem imperia, ſed defendunt; deprauatas Hominum cõſuetudines vulnerant, ſed vulnus eruditur ad vitam. Fælices anguſtiæ, vndè in perpetuam vindicamur libertatem! Fælix preſſura, in qua cæleſtis dulcedo nectaris eliquatur! Non eſt iniuria ad vindictam,

D. Zenon.

dictam,ſed ad victoriam. *Mittitur in torcular,* Auguſtinus cla-
Auguſt. mat. *calcatur,& premitur vua; iniuria videtur ei fieri,ſed iſta iniuria ſterilis non eſt: imò ſi nulla ei fieret iniuria, vitis ſterilis remaneret.* Quis credat arbori iniuriam irrogari, ſi falce tundatur, aut telluri vulnus à ligone, ſi fodiatur; ſi herbeſcētem campum comburat induſtrius ſudor? In augmentum poſituri temporis cedit quidquid iniuria ſua proficit; & arbor quæ ſecta floret cum ferro certamen ſuſcipit, morte viuit, ſectione progerminat, eloquenter expreſſit Nazianzenus. Nullus
Nazianz. proindè animos nimis vecordes opponat ſāctiſſimis Pręſulum inſtitutionibus. Hæ torcular, hæ ferrum ſunt, his Domini vineta fæcundantur. Ferro amputanda ſunt vitia, non oleo linienda: ferro expugnanda Hoſtium arma, non blandimentis vincenda: ferro indomitæ naturæ mores profligādi, non delicijs excolendi. Huc omnem contentionem in-
Thren.5.1. tendite, Parthenopæi Ciues, Animarum Paſtores, huius Sā-
Ad Rom.8.17. ctuarij Myſtæ, & Sacrorum Miniſtri. Filij Sanctorum eſtis,
1. Petri 3.22. hæreditatem veſtram ne vertatis ad Alienos, Hæredes Dei, vitæ æternæ Hæredes, Cohæredes Chriſti.

Supereſt hoc ſolum mihi, vt in calce orationis meæ, oculos conuertam ad huius vineæ, quam excolitis venuſtatem. Semper floruit in florentiſſima Campaniæ amęnitate. Nunquam defuerunt ſata ſanctiſſimorum Antiſtitum; nunquam defecerunt germina cęleſtium Sacerdotum, nunquam deſiderata fuit ingenuiſſimi, & ingenioſiſſimi Populi cultura. Proh caram Cęlo regionem! Proh Deo dilectam proſapiā! Proh ſolis inferis Sacrorum Hæroum ſobolem inimicam! Orandum tantum eſt, vt hac die, qua diuinus Paracletus è cęlo mittit copioſa munera gratiarum, ea ipſa in Nos conuertat per legum inſtituta benigniſſimus Pręſul noſter. Nos corda inflammemus, & mētem ad obſequia Dirigētis: Nos diriget ille ad culmina ſanctitatis. Dixi.

Officiales Synodi.

Promotor Ioſeph Rodouerius V.I.D.) *Metropolitanæ*
Secretarius Nicolaus Gilibertus V.I.D.) *Canonici.*
Theologus Ioſeph Imperialis Soc.Ieſu Sacræ Theol. Lector.
Magiſtri Cæremoniarum Agnellus Ricciardone,) *Eiuſdem Metrop.*
& Raphael de Sanctis,) *Hebdomadarij.*
Notarius Vincentius Ayeta in Archiepiſcopali Curia Actor. Magiſt.

Examinatores Synodales.

Matthæus Renzi S.T.D. Secretarius Examinis) *Metropolitanæ*
Tobias Carolus Campanile S. T. D.) *Eccl. Canonici.*
Io: Franciſcus Bambace S. T. D.)
P.D.Petrus Giſolfus Congregationis Piorum Operar. S.T.P.
D. Franciſcus Staybanus S. T. D.
D. Antonius Venetia S.T.P. Parochus Eccl. Metropolitanæ.
P.Carolus Lombardus S.T.P. Congregationis Orat.
D. Franciſcus Verde V.I.D. & S.T.P.
D. Hannibal Cortonus S. T. P.
P.D.Angelus Piſtachius Cleric.Regul. Theat. S.T.P.
P. Ioſeph Imperialis Soc. Ieſu S.T.L.
P. Franciſcus Guarinus Soc.Ieſu S.T.L.
P.D.Felix Ronchi Congregationis Cleric.Regul.S.Pauli Barnabit.S.T.P.
P.D.Thomas Caracciolus Cong.Caſſinenſis S.T.L.
P.D.Bonifacius Themignus Abbas Oliuetanus S.T.L.
P. Nicephorus Sebaſtus Ord. Erem.S.Auguſt. S.T.M.
P. Bonauentura de Alexandro Min.Conuent. S.T.M.
P.Franciſcus Alphanus Ord. S.Mariæ Mercedis. S.T.P.
P.Dionyſius à S.Andrea Carmelitarum Diſcalceatorum. S.T.P.

Iudices Synodales.

Hieronymus Balſamo V.I.D.)
Nicolaus Gilibertus V.I.D.)
Ioſeph Rodouerius V.I.D.) *Metropolitanæ.*
Dominicus Menna V.I.D.) *Canonici.*
Marcus Antonius Borrellus V.I.D.)
Fuluius Crinelli V.I.D.)

Digitized by Google

AD coërcendos abuſus, qui ſenſim ſine ſenſu irrepſerunt in mores Hominum deprauatos, ſemper Maiores Noſtri ad Sacrorum Canonum, & præſertim Sacri Tridentini Concilij normam,atque prçceptum, conſtituere conſueuerũt Leges Synodales in perpetuum valituras. Nos itaque quibuſcumque Animarũ periculis prouidè proſpecturi, bene ominante diuino Numine, ſequentes Conſtitutiones ſancimus.

De Sacramento Baptiſmi.

I.

CVm vnica ad ſalutem via Chriſtianis per Baptiſmi ianuã aperiatur,primum,& præcipuum ſtudium conuertendũ eſt à Paſtoribus animarum in tam neceſſarium Sacramenti miniſterium,ita vt non ſolùm in ſubſtantia ſalutare lauacrum ritè infantibus conferatur,verùm etiam vt in Ceremonijs,cæteriſque circumſtantijs per quam ſanctè, & cautè tam muneris dignitati, quàm antecedentibus decretis Synodalibus cõformetur.

II.

Concil. Prou 1. Mediol. ſub S. Carolo, p. 2. in tit. Quæ pertinẽt ad Baptiſmi adminiſtrationem.

STatuimus inſuper, vt non ſolùm prohibitum ſit,ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ Parentibus irrogata,ſi trãſgreſſores extiterint, prorogare Baptiſmum vltrà octauum ab ortu diem, ſed vetitum Parochis ſit elapſo eo termino ad Baptiſmalem fontem Paruulos admittere Nobis inconſultis, ſub pænis ad noſtrum arbitrium infligendis. Multòque minùs audeant ijdem Parochi, ſub pæna ſuſpenſionis ab officio, extrà Parochialem Eccleſiam Infantes ſolemniter baptizare.

III.

Ibidẽ verſic. Fidelis.

PAtrini non admittantur Excommunicati,neque cum enſe,vel pugione, non ſolùm in Baptiſmo, ſed ne in Confirmatione quidem,neque illi,qui annuæ communioni minimè ſatisfecerint. Quamobrèm diligenter in hos Suſceptores Parochus animaduertat, & ſecretè, ſi opus fuerit, mores eorum, vitæque conſuetudinem exploret.

De

De Sacramento Confirmationis.

I.

CVm abundè ſatis, tùm à Prædeceſſoribus Noſtris, tùm à Nobis aliàs conſultum fuerit huius Sacramenti adminiſtrationi, hoc inſuper ſtatuere cautum duximus, vt eorum nomina, qui ſalutari Cryſmate inunguntur in librum ad hunc vſum deſtinatum referantur à Ceremoniarum Magiſtro ad ſummum infrà octo dierum terminum. Accidit enim non rarò, vt in obliuionem cadat tam laudabilis Sacramenti ſuſceptio, quod nullo vnquam tempore reiterari licet, præſertim vbi Plures in puerili ætate iàm pridem confirmatos poſt longam ætatem de eius ſuſceptione dubitantes denuò ad Confirmationem ſiſti contingat. *In Synodo anni 1669.*

II.

VAni, & multò magis laſciui ornatus à Puellis confirmandis, & à Matrinis ſuſceptricibus arceantur. Dedecet enim ſuperfluus corporis cultus, vbi totum eſt ſtudium conuertendum in animæ pulchritudinem, ea præſertim die, quâ per alias Synodales conſtitutiones decretum fuit, vt ritè confeſſæ accedant ad huius Sacramenti ſuſceptionem. *Ibidem.*

De Pænitentiæ Sacramento.

I.

PLures in fraudem Noſtrarum Synodalium conſtitutionũ, vbi aliquo grauiori caſu reſeruato, præſertim cum annexa excommunicatione, illaqueati detinentur, ad vicinas Diæceſes breui itinere diuertunt, quò faciliùs abſoluantur. Cum autem nefas ſit eos à lege protegi, qui in legem committunt, præcipimus Confeſſarijs quibuſcumque, vt ſi quandoque nouerint ex Pœnitentium confeſſione, illos ad Confeſſarios, etiã Regulares in aliena Diæceſi commorantes dedita opera in fraudẽ reſeruationis, & cum hac peſſima induſtria confugiſſe, tanquam malè abſolutos dimittant ad Pœnitentiarios Noſtros, vel ad Nos, ſi caſus neceſſitas cogat.

Ex Concil. Mediol. 3. p. 1. in tit. de ij qua ad Sacramentũ pœnitẽtię pertinent Et iuxtà decretũ Papa Noſtri Clẽ. X. anni 1670. 21. Iunij, quod incipit Superna Magni Paſtoris §. 7.

Ex litteris S. Cengreg. Epiſc. & Regul.

ANte Auroram iam clarè diluceſcentem, aut poſt datum à Solis occaſu Angelicæ ſalutationis ſignum, Nullus Confeſſarius, etiam ſi Regularis ſit, audeat in Eccleſijs Confeſſiones excipere Fæminarum, ſub pæna ſuſpenſionis ab hoc munere.

III.

In eod. Cõcil. Prou. Mediol. ibid.

NVnquā ſatis ab Eccleſiaſticis legibus arguēda eſt Medicorū inertia, qui poſthabita animarū ſalute in corporis ſanitatem vnicè incumbunt, contrà ſaluberrimam B. Pij V. Conſtitutionem; denique poſt tot Synodalia decreta toties, & tàm ſollicitè promulgata. Eos proinde ſedulò monemus, vt diligenter obſeruent, quæ in dicta Bulla B. Pij V. decernuntur, quæ erit quotannis in quadrageſima promulganda.

CASVS RESERVATI.

CVM ex antiquo, & ſalutari more Eccleſiæ, præſertim ex Sacroſancti Tridentini Concilij decreto locorum Ordinarij ad Chriſti fideles in officio continendos conſueuerint atrociorum criminum abſolutionem ſibi reſeruare, Nos pro ea, quam noſtri gregis, gerimus, cura, vt, quoad poſſumus, eūdem ab extremis animæ malis auertamus; appoſitos caſus, cenſuraſque ita nobis reſeruamus, vt nemini ſiue Sæcularium, ſiue Regularium Confeſſariorum etiam à nobis approbato, vel approbãdo liceat ab ijs quempiam abſoluere ſine noſtra, vel noſtri Generalis Vicarij licentia, excepto mortis articulo iuxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem.

Caſus Reſeruati, quibus eſt annexa Excommunicatio.

1 OMnes Perſonæ, quæ vel per ſe, vel per alium de Sanctiſſimo Altaris Sacramento, Chriſmate, Oleo Sancto, ſiue quacunque alia re conſecrata ad veneficia, diuinationes, ſortilegia, alioſq; illicitos vſus quomodolibet abutantur: quiue de prædictis ad prędictos fines aliquid Alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abuſu non ſequuto, pœnam excommunicationis ipſo facto incurrant.

2 Eandem pœnam excommunicationis incurrant omnes vtriuſq; ſexus Perſonæ, quæ Dæmoni ſpondent obſequium, thus, & ſacrificia offerunt, etiam ſine errore intellectus. Inſuper

ſuper quæcunque ſiue ſuo, ſiue alterius nomine condunt, aut condere faciunt imagines, anulos, aut quoduis aliud arte factum, in quo Dæmonem conſtringant.

3 Itē Venefici, ac Veneficæ omnes, Necromantes, Diuinatores, Sortilegi, Lamiæ, Striges, ſeù quouis alio nomine nūcupentur ex vtroque ſexu, qui cum expreſſa Dæmonis inuocatione, ad captandam dilectionem, aut odium concitādum, vtūtur incantationibus, alijſque maleficijs in Alterius damnum; ſiue etiam ligaturis à naturali, & legitimo matrimonij vſu coniuges auertunt.

4 In excommunicationem quoque ipſo facto incidere eos volumus, qui abſque noſtra, aut noſtri Vicarij licentia ad Monaſteria Monialium, licet exēpta, accedere præſumpſerint ad colloquendum cum aliqua, vel cum aliquibus earū, etiamſi ſit nouitia, aut conuerſa, aut quæ educationis, ſiue alterius rei cauſa ibidem commoretur; declarantes, quod qui facultatem obtinuerint colloquendi cum aliqua prædictarum, non poſſint data opera, & ex profeſſo cum alijs colloqui. Qui verò cum aliqua ex prædictis in ijſdem Monaſterijs commorante, vel coram ipſis auſi fuerint de rebus obſcœnis per verba, aut actus impudicos præſentes agere, abſentes verò per literas, aut internuncios, nec non viros, & mulieres, ſiue intra, ſiue extra Monaſterij clauſtra degentes, qui prædictas literas, vel mādata detulerint, Omnes, & Singuli ſint ipſo facto excommunicati.

5 Sint pariter excommunicati omnes in cauſa criminali, vel ciuili cum graui damno alterius falſum deponentes, aut deponendum curantes. Præter hos Actuarij, Subactuarij, Notarij, Scribæ, qui cum alterius partis offenſione, aut cum Reipubl. detrimento doloſè diminutam informationem capiunt, nec plenam teſtium depoſitionem ſcribunt.

6 Tùm omnes confeſſarij approbati, & approbandi etiam Parochi ad inhoneſta Perſonam quamcunq; ex ſibi confitentibus, ſiue in actu confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè ſollicitantes, pœnam excommunicationis eo ipſo incurrant.

7 Necnon tàm Laici, quam Clerici, qui contra diſpoſitionem Sacrorum Canonum, Clericos, quos nouerint, ad forū ſæculare traxerint, etiam conſentiente Reo.

8 Quiuè etiam homicidia, mutiationeſq; membrorum in ipſis Eccleſijs patrauerint, excommunicationi ſubiaceant.

9 Eidem ſubiaceant omnes cuiuſuis Religionis fœminæ,

Bizo-

Digitized by Google

Bizochę dictæ, deferentes, quod vulgus vocat,ſubcannum inſtar Monialium in Monaſterijs degentium.

10 Tùm etiam,qui cuiuſcunq; conditionis perſonæ fuerint, libros in Ciuitatem introductos tradunt, aut traditos recipiunt, ſiue etiam de eadem Ciuitate extrahunt,priuſquam à Deputatis fuerint recogniti. Similiter Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius prędictis Deputatis emptorum librorum catalogo, ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrant, à qua tamen ſi quis Tranſgreſſor de licentia noſtra abſoluendus erit, nunquam abſoluatur, quoaduſq; libros ſine prædictis requiſitis introductos, aut emptos recognitioni non ſubiecerit.

11 Qui in Paſchate Reſurrectionis non communicantes,ab alijs dolosè accipiunt ſchedulas, ſeu cartulas; quæ eo tempore diſtribui ſolent in Metropolitana, vel in Parochijs,vt fidem Parocho exhibeant de peracta communione. Item illi qui eaſdem nō Cōmunicātibus quomodocumque accommodant in fraudem.

Caſus Reſeruati, quibus non eſt annexa Excommunicatio.

1 BLaſphemantes Deum, vel B. Virginē ex peruerſa conſuetudine coram pluribus ſuper quatuor.

2 Exercentes peccatum Sodomiæ, vel cum Brutis coeuntes,ita tamen vt in his, & ſequentibus luxuriæ caſibus tantùm maſculi comprehendantur.

3 Inceſtuoſi in primo,vel ſecundo gradu conſanguinitatis, aut affinitatis.

4 Confeſſarij omnes, etiam Curati ad obſcœna quaslibet Perſonas ſibi cōfitentes, licet non immediatè poſt confeſſionem,inducentes,ſeù ſollicitantes.

5 Medici, qui viſitantes in lecto infirmos, poſt tres dies à viſitatione non curauerint certò ſcire, num prædicti infirmi peccata ſua idoneo Confeſſario confeſſi iam fuerint ſecundùm terminos Bullæ Pij V.

6 Debitores quorumlibet piorum locorum, ſiue eorundē Debitorum Adminiſtratores,ſi intra menſem etiam extra iudicialiter requiſiti à Rectoribus,Procuratoribus,ſeu Adminiſtratoribus dictorum locorom,redditus,& cenſus non ſoluerint.

7 Non

7 Non abſoluantur Concubinarij, niſi, facta reali ſeparatione, & tori, & domus, per duos ſe menſes continuerint: vel niſi certò, aut valdè probabiliter conſtet, factos phyſicè, vel moraliter impotentes ad recidēdum, aut paulò poſt eſſe inter ſe matrimonium contracturos.

8 Conficientes venena in Hominum perniciem: eadem confecta apponentes, ſiue ad hoc quomodolibet Cooperātes, etiam non ſequuto effectu.

Declaramus, prædictis excommunicationibus exceptis, Nobiſque, vt ſupra reſeruatis, Parochos, omneſque alios, ſeù ſæculares, ſeù regulares Sacerdotes à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali approbatos, ſiue approbandos, audita integra confeſſione, abſoluere poſſe ab omnibus alijs cenſuris, quæ per edicta, aut Synodales conſtitutiones, aut demum ex conſuetudine Nobis, vel Ordinario loci, ſiue Archiepiſcopo Neapolitano, quouis modo reſeruantur, quamuis ſpecialem requirerent facultatem. Prætereà declaramus, ſi cui in poſterum à Nobis concedetur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, & caſibus nobis reſeruatis, à collocutione cùm Monialibus, ſiue alijs, vt ſupra in Monaſterio degentibus, de rebus obſcœnis, alijſq; vt dictum eſt, actibus impudicis, nunquam intelligi conceſſam, niſi facta fuerit expreſſa mentio de ea. Denique ante decimumquartum annum completum Neminem cenſuris hiſce, & caſibus comprehendi volumus.

De Venerabili Sacramento Euchariſtiæ.

I.

ABuſus, qui in hac Ciuitate, & Diæceſi à longo tempore inualuit, quod Fideles arbitrentur ſe paſchali præcepto ſatisfacere ſi annuam Communionem differant vſq; ad diem Dominicæ Aſcenſionis, & vltrà, nimium arguit Parochorum incuriam, inertiamque. Cum enim aliàs à Prædeceſſore Noſtro B.M. Decio Cardinali Carrafa in Diæceſana Synodo, anni 1619. 24. Aprilis ſancitum fuerit, vt omnes, & ſinguli Parochi, ſub pæna centum librarum ceræ, alijſque pęnis arbitrio reſeruatis, per ſe, vel per Concionatorem Eccleſiæ, vel confiniū, curent Populo promulgari contenta in conſtitutione Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. edita, quæ incipit, *Omnis vtriuſque ſexus*. Videlicet quod omittens confiteri ſemel in an-

Cap. Omnis Vtriuſq; De Pænit. & Remiſſ. Ex Synod. Card. Carrafæ anno 1619. 14. Aprilis.

anno, & ſumere ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramẽtum in Paſchate Reſurectionis, viuus arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus careat Eccleſiaſtica ſepultura; Et tranſactis octo diebus poſt octauam eius ſolemnitatis, nimirùm poſt Dominicã in Albis, iterum moneat, vt præceptum prædictum quilibet infrà alios octo dies adimpleat; aliàs dicto termino elapſo fiet denunciatio, non ſolùm prædicti Parochi deſides, & negligentes ſe oſtendunt in admonendis huius obligationis Fidelibus, ſed poſt terminum octo dierum à Dominica in Albis, ab eadem monitione deſiſtunt, tolerantque vlteriùs differentes Communionem, vulgari Plurium ignorantiæ conniuentes, quod ſatis ſit pro Eccleſiaſtico præcepto ad Euchariſtiam accedere per dies quadraginta. Mandamus igitur inpoſterum, vt huiuſmodi Synodale Decretum in ſuo robore perſeueret, ſub iiſdem pænis. Inſuper ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus, ne ab Vllo poſt elapſum terminum quindecim dierum in Parochijs ſchedulæ Communionis diſtribuantur. Qui verò intrà prædictos quindecim dies non communicabit, non poſſit ab Alijs, quam à Noſtris Pœnitentiarijs abſolui, niſi legitima cauſa vel ægritudinis, vel peregrinationis, vel alterius ſimilis impedimenti à communione illum retardauerit.

II.

QVandoquidem etiam eò ſceleris humana fallacia progreſſa eſt, vt Plures non communicantes in Paſchate fraudulẽter emendicent ab Alijs, & præſertim à Mulierculis, quæ ſæpius eo Paſchali tempore communicantes, multiplices communionis cartulas acceperunt, vt venales non communicantibus exhibeant per ſummum dolum, & ſcandalum, ex quo Fideles aliquando impunè, etiam per plures annos à ſacro vitæ pabulo remouentur; Nos idcirceo tàm grandi animarum periculo maturiùs conſulentes, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis reſeruatæ, & in pagella Caſuum reſeruatorum poſtmodum apponenda, ne vlla Perſona cuiuſcumque conditionis ſit, inpoſterùm audeat eas ſchedulas, aut alijs accommodare, aut vendere, aut ab ijs, qui iàm communicarunt ſuffurari, aut quoque modo doloſè accipere, ſiue impetrare.

De

De Sacramento Ordinis.

I.

AD Ordines ſuſcipiendos Nullus Clericus vlterius promoueatur non ſolùm ad ſacros, verùm etiam ad minores, niſi teſtimoniales litteras à Parocho, in cuius Parochia incolit, ſubſcriptas exhibeat, quod propriæ Eccleſiæ inſeruierit; ſi verò ſcholares, Aliiue Clerici de licentia tantùm Noſtra, aut Noſtri Vicarij Generalis, ſpecialiter, & in ſcriptis cōceſſa, pro meliori pietatis diſciplina ſodalitates quaſdam Regularium frequentauerint, aut in Eccleſijs Monialium inſeruierint, fidem eodem modo referant ſubſcriptam de præſtito in ijs locis miniſterio, pro Ordinibus, ad quos promoti fuerunt, conuenienti.

II.

SI quis ſacris Ordinibus initiandus fictum Patrimonium quomodocumque ſimulet, cenſeatur ipſofacto ab ordinum Sacrorum exercitio ſuſpenſus; Neque ab Vllo vnquam abſolui poſſit, niſi à Nobis perſonaliter, aut à Succeſſoribus Noſtris. Imò numquam Ille ſperet, niſi poſt legitimum patrimonium comparatum, & poſt longum tempus à peracta pænitentia, nec non ex graui cauſa diligenter cognita, ſe abſolutum iri.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

PArochi Sacramentum extremæ vnctionis tempeſtiuè miniſtrare curent; quò poſſit æger ſuæ mentis compos, tùm maiori deuotione, & contritione reliquias peccatorum delere, tum ad vincendas ſatanæ tentationes muniri in illo vltimo, & adeò periculoſo vitæ agone: Semper proindè dùm Sacroſanctum Viaticum ad infirmos defert (modo ſit periculum in mora) ſecum pariter aſportet vaſculum, vbi ſacrum Oleum reconditur, in decenti capſula, atque crumena. Non ità tamen ſalutare hoc miniſterium ſibi explendum putet, vt ſemper ſimul vtrumque ſacramentum peragat; ſi vtique conſpicatus fuerit infirmum diutiùs in ſua mente perſtiturum. Porrò eſſet nimis increpandum, ſi Parochi, poſt adminiſtrata Sacramenta Oues ſuas periclitantes deſtituerēt proximè mo-

rituras,& in extremò diſcrimine conſtitutas, ſeipſos paſcẽtes, non gregem.

De Sacramento Matrimonij.

I.

AD euitandas ſceleſtiſſimorum hominum fraudes, quæ aliquando apud nos deteguntur, poſt matrimonium cõtractum, oculatiſſimi, & diligentiſſimi ſint noſtræ huius Curiæ Archiepiſcopalis Miniſtri, nec Teſtium depoſitiones ſuper ſtatu libero Deſponſandorum recipiantur ſine diligenti examine cum iuramento excepto à Notarijs noſtris coram Deputatis pro hoc munere. Imò Teſtes ipſos non rarò dignoſcere expediret, præſertim ſi perſonæ ſuſpectæ ſint, & viles, & in ſuis dictis nutantes. Si verò Matrimonium udituri ſint exteri, aut oriundi quidem, ſed ab hac Diœceſi longo tempore procul aberrantes, non admittantur ad examen, niſi prius ex diligenter diſcuſſis ſcripturis conſtiterit, eos nullo alio ligaminis coniugalis vinculo præpediri. Quod ſi ſecùs egerint tales Miniſtri, ab officio deponentur, alijſque pænis ad arbitriũ ſubijacebunt; ſeruata in omnibus forma litterarum, & inſtructionum Supremæ Congregationis Sancti Officij de Vrbe; & Edicti nuper ſuper hoc promulgati.

II.

OPtandum profectò foret, vt ſponſi ante nuptias in facie Eccleſiæ contractas, domum ſponſæ non conſcenderẽt, quod redolet honeſtatem ab ipſis etiam Sponſis commendãdam. Non hoc præcipimus quidem, ſed ſeriò hortamur ad periculoſam hanc conſuetudinem abolendam, quæ cum tanto periculo animarum introducta fuit. Arbitrentur porrò deſpõſantes ſe ſpeciali à Deo gratia copulandos, ſi immaturæ beneuolentiæ vſum differant poſt contractum coniugium ad licitam vitæ ſocietatem. Vtinam iurgia, & rixæ animorumq; diſſenſiones cum moleſto nimium conſortio, quæ in dies oriuntur inter coniuges, originem non traherent à matrimonio ſępiſſimè cum mortali peccato inchoato. Certè ſi fuiſſet à Deo principium, vndè pax, & vnitas habetur, vſque in finem Sacramentali gratia adiuuante progrederentur cum mutuo amore, & prolis proſperitate ad æternæ ſalutis portũ. Quamobrèm pater-

Digitized by Google

paternè, & enixè ſponſos rogamus, vt ad Sacramentum hoc ſuſcipiendum accedant præmiſſa ſacramentali confeſſione, & poſtmodum ſacra communione refecti, reformidantes ſine ſpeciali Dei gratia, imò ſæpè cum lethali peccato, ad nouum vitæ ſtatum de ſua natura adeò oneroſum ſe conferre.

III.

VT fraudes in matrimonijs attentiùs præcluderentur, Nos aliàs ſpeciale edictum in vernacula lingua promulgauimus, quod hic inſerere conſentaneum duximus, vt nullo vnquam tempore cum his Synodalibus ſtatutis in obliuionē cadet.

Ordini da oſſeruarſi dalli Maſtrod'Atti, e Scriuani della Corte Arciueſcouale di Napoli, e dalli Vicarij Foranei delli Terzieri della noſtra Dioceſe nelle cauſe Matrimoniali.

COl tenore del preſente noſtro Editto, volendo colla noſtra Paſtoral ſollecitudine per quanto poſſiamo inuigilare ad ouuiare all'inconuenienti, che in dies, per quanto ci è peruenuto all'orecchio, occorrono nel noſtro Tribunale per cauſa de gl'atti matrimoniali, che in quelli ſi ſpediſcono. Ordiniamo in tanto, e comandiamo ſotto pena di priuatione d'officij, & altre à noſtro arbitrio riſerbate contro i Traſgreſſori, de'ſeguenti noſtri ordini.

Primieramente ordiniamo, e comandiamo alli Maſtrodatti, e Scriuani di detto noſtro Tribunale, che nelle ſudette cauſe matrimoniali debbano oſſeruare pontualmente l'Inſtruttioni traſmeſſe dalla S. C. della generale, & vniuerſale Inquiſitione, tenendo quelli ſempre pronti nell'atto, che riceuono le depoſitioni così de'principali ſpoſi, come de'teſtimonij, che ſi produrranno per il lor ſtato libero, quali depoſitioni vogliamo, che ſi riceuano, e ſi ſcriuano dalli Scriuani ordinarij ſolamenle, e non da'Scriuani ſtraordinarij, ò ſubſtituti, e che in ciaſcuna depoſitione tanto de'principali ſpoſi, quanto de teſtimonij, & approuatori di eſſi vi ſi ſottoſcriua il proprio Scriuano ordinario, che le riceue.

Secondo, ordiniamo alli ſudetti Maſtrodatti, e Scriuani, ch'in conto veruno riceuano depoſitione alcuna nelle cauſe matrimoniali ſudette, ne meno ardiſchino interrogarli ſopra di eſſi, ſe prima non ſaranno interrogati dalli Signori Giudici da noi deputati, ſecondo l'Inſtruttioni ſudette, a' quali incarricamo, ch'in auuenire ſtiano maggiormente auuertiti nell'interrogar li principali, e teſtimonij vno di diſparte dall'altro, per ſcorgerne la verità, ò pure qualche concerto di falſità.

Terzo ordiniamo, e comandiamo alli ſudetti Signori Giudici, che nell'atto d'eſſaminar, e dare il giuramento tanto à gli Spoſi, come à i teſtimonij, debbano ammonirli, & auuertirli, che chi depone il falſo in queſte cauſe matrimoniali incorre irremiſſibilmente alla pena della galera, oltre il ſpergiuro.

Quarto, che neſſuno de' Signori Giudici deputati poſſi proſeguire gli atti di dette cauſe matrimoniali, ne farci il Voto, ſe non quel Giudice, auanti del quale ſi è principiato il proceſſetto, & haurà dato prima il giuramento, à chi ſpetta poi far il Voto per la ſpeditione di quello.

Quinto, che li Maſtrodatti, e Scriuani ſodetti non ardiſchino portare à ſpedire detti atti matrimoniali al Sig. Giudice deputato, ſe non ſaranno pienamente preſe le depoſitioni ſudette colle fedi neceſſarie, affinche il medeſimo Sig. Giudice poſſa giuridicamente darui il voto, che conuiene.

Seſto, ſeueramente ſaranno caſtigati, oltre la perdita dell'officio quelli Scriuani, che nel riceuer le ſudette depoſitioni notano ſolamente i nomi, e cognomi de' Spoſi, e teſtimonij; e ſenza ſtender l'eſſame, facendoli ſottoſcriuer in bianco, che perciò ordiniamo, che in auuenire ſi togli affatto queſto abuſo, e vogliamo, che non ſolamente l'eſſami predetti ſi ſtendino compitamente; mà quelli poi ſteſi, e deſcritti in conformità dell'Inſtruttioni ſudette ſi legghino auanti di quello, che ſi eſſamina, e poi non occorrendoli coſa in contrario, lo facci ſottoſcriuere, ò ſignare con il ſegno di Croce.

Settimo, che nelle ſudette cauſe matrimoniali ſi eſſighino li deritti ordinarij, ſecondo la taſſa, quali vogliamo, che non ſi alteri in coſa alcuna, beneche minima, ancorche dalle parti ſe gli daſſe ſpontaneamente.

Ottauo, che li Vicarij Foranei della noſtra Dioceſe ſimilmente nelle cauſe matrimoniali oſſeruino diligentemente l'Inſtruttioni ſudett e nell'eſſaminar li Spoſi, e teſtimonij.

E per le fatiche, e deritti, vogliamo, che oſſeruino la ſeguente Taſſa.

Per

Per l'eſſame de'principali Spoſi con fede di Batteſimo, non ancora caſati, e teſtimonij, quando ſi riceuono per eſſi reſpettiuamente ciaſcheduno nel ſuo proprio Caſale del ſuo Terziero, ſe li diano carlini due, però quando le parti dimandaſſero l'acceſſo in caſa per l'eſame di detta Spoſa, ſe li diano altri carlini due; mà in caſo, che detta depoſitione ſi riceueſſe dal Parocho vn carlino, & vn'altro carlino ſi anderà per acceſſo in caſa.

E quando i Vicarij Foranei ſaranno chiamati dalle parti per l'eſſami ſudetti fuor della ſua reſidenza, & andarà in altro caſale del ſuo Terziero, all'hora ſe li dia il detitto dell'eſame, come di ſopra ſtà taſſato, e per detto acceſſo altri carlini due per ragione della fatica ſtraordinaria.

Auuertendo, che ſe in dette cauſe matrimoniali occorreſſe, che lo Spoſo habitaſſe in vn Terziero, e la Spoſa in vn'altro, ſolo il Vicario della Spoſa, eſſendo Vergine in Capillo, poſſa riceuere l'eſame di detta Spoſa.

Nè meno poſſono eſſi Vicarij Foranei, ò Parochi ingerirſi à far atto alcuno in detti eſami matrimoniali, quando alcuno de'Spoſi, ò ambedue fuſſero foraſtieri, benche habitanti in quel Terziero, ò Caſale, ma debbiano inuiarli alla noſtra Corte Arciueſcouale, così per l'eſami, come per l'eſpeditione neceſſaria del matrimonio.

Ne tampoco vogliamo, che pongano mano, quando occorreſſe il caſo, alle cauſe matrimoniali tra'Nobilj, ò Napolitani, ò foraſtieri, che ſiano, habitantino nelli ſudetti Caſali della noſtra Dioceſe, e così comandiamo, che s'oſſerui ſotto le ſudette pene, & altre à noſtro arbitrio, & acciò li ſudetti noſtri ordini ſi oſſeruano, e non ſi poſſa allegare cauſa d'ignoranza, ordinamo, che ſi affigano nella noſtra Corte Arciueſcouale, e nelle Chieſe Parochiali delli Terzieri della noſtra Dioceſe, & habbiano vigore, come fuſſero perſonalmente citati. Dato nel noſtro Palazzo Arciueſcouale li 14. di Nouembre 1675.

De Exequijs, & Veſpillionibus.

I.

QVamuis Prædeceſſores Noſtri, & præſertim B.M. Cardinalis de Aquauiua; imò ipſa Prouincialis Synodus abũdè prouiderint circa funera, & exequias, nihilominus tamen

ca

ea eſt humanæ auaritiæ ingluuies, vt niſi ſæpius coerceatur, in ſummũ dedecus Eccleſiaſticum, & magnam perniciem chriſtianæ charitatis excreſcat, non ſine ſcandalo Laicorum, Fideliumque admiratione. Idcircò quæ in dicta Synodo Prouinciali, & in Synodis Cardinalis de Aquauiua anno 1607. & Cardinalis Carrafæ anno 1622. ſtatuta reperiuntur, nõ ſolùm innouamus, ſi forte in deſuetudinem abierint, ſed ad infraſcripta extendimus.

II.

DElata ad Nos fuit, nec inanis, querimonia, quod Cellararij, Aeconomi, Parochi, Curati, Confratres, & Gubernatores Eccleſiarum, ad quos incumbit funeralũ, aut exequiarum cura, nolint ad ſuas Eccleſias cadauera Mortuorum deferri, aut ea per vias aſſociare, aut exequijs interuenire in funerando, niſi facta conuentione cum Hæredibus in magna pecuniarum ſumma. Cum autem in hoc ſit magnum moderamen adhibendum, ne res ad arbitrium Vniuſcuiuſque redigatur. Nos peculiari Edicto typis diuulgando ſtatuemus quid in funeribus, exequijſque inſtituendis ad ſummum ſit exigendum, prohibentes in hoc Synodali Decreto, ne vltrà taxam ibi præfixam quidquam audeant extorquere Eccleſiaſtici Miniſtri, ſub pæna ſex ducatorum in vſus pios eroganda.

III.

NEque permittenda eſt in Veſpillionibus tanta auri cupiditas, vt cogant Hæredes Defunctorum, aut Teſtamentorum Exequutores ad ſoluendum quidquid voluerint pro ſuo munere explendo; adeoque etiam pro eorum conuenienti labore erit iuſta taxa præſcribenda à Nobis, & ab ipſis penitùs obſeruanda. Imò liberum ſit iiſdem Hæredibus, aut Exequutoribus ſericas, ſeu aureis filis intextas culcitras, ceteraq; ſimilia funerum ornamenta ab alijs locata comparare, & exponere. Quæ omnia, vt ritè obſeruentur, erit inferius referendum edictum, quod anno elapſo expoſuimus pro funerum, & exequiarum taxa, quod ad vnguem volumus in ſuo robore confirmari.

IIII.

SAcerdotes, & Clerici omnes Defunctorum cadauera aſſociantes habeant veſtes vſque ad thalos productas; nec ſine

albo

albo ſuperpelliceo incedant ſub pœna librarum ſex è cera elaborata. Meminerint tandem quàm opus pium exequantur, quod non tanquam venale, ſed tanquam Deo acceptiſſimum plurimi facere debent, cum magna modeſtia, & ſine colloquijs bini inuicem aſſociati per plateas ad publicam ædificationem procedentes.

Eſſendoci peruenuto all'orecchie, non ſenza diſturbo dell'animo noſtro, e ſcandalo del Popolo, che alcuni Beccamorti di queſta Città ſcordatiſi del premio, che potrebbero meritare in eſercitar rettamente queſto lor meſtiero, tuttauia ſi ſiano dati à lor beneplacito ad eſtorquere ſomma di denaro dalle parti, e parenti de'morti per portatura, e ſepoltura de'cadaueri più di quello, che vien loro preſcritto, e taſſato nel Decreto à queſt'effetto da Noi emanato nella noſtra Synodo celebrata nell'anno 1669. Onde per ouuiare alla ſordida auaritia di quelli, e riparare in auuenire, così alli ſcandali, che poſſono per tal cauſa ſoccedere, com'anche all'intereſſi, à che poſſono ſoggiacere le parti, ò parenti de'morti. Inherendo à quanto ſtà preſcritto nel ſudetto noſtro Decreto Synodale, e quello innouando quatenus opus ſit, ordiniamo, e comandiamo à tutti, e qualſiuoglia perſona, che fà, ò farà tal meſtiero di portare à ſepellire li morti ſotto pena di Scõmunica ipſo facto incurrenda, che non poſſano riceuere altra mercede, ſe non quella, che da Noi l'è ſtata taſſata (ancorche fuſſe lor data ſpontaneamente) qualche coſa de'più dalle medeſime parti, ò parenti de'morti.

Et affinche tanto li ſudetti Beccamorti, quanto qualunque altra perſona di queſta Città ſappino, & oſſeruino, quanto s'ordina nella ſudetta taſſa, ordiniamo, che quì ſotto s'aſſeriſce del modo, e tenor, che ſiegue, vz.

Primieramente per portare, e ſepellire il morto dentro li fini della Parochia ſe li paghino carlini dieci.

Fuor delli fini della Parochia, che fuſſe per diſtanza d'vn miglio carlini venti. Ma ſe fuſſe in diſtanza meno d'vn miglio, ò più d'vn miglio, in tal caſo ſi dourà ſcemare, ò aggiungere qualche coſa di più, ſecondo la fatiga del viaggio.

Per l'eſequie di notte carlini ſei di più di quello ſtà taſſato, come di ſopra; ma ſe per caſo occorreſſe, che doueſſero alcuni di loro calare nella ſepoltura ſe li dia qualche coſa di più, ſecondo la qualità del pericolo, e ſecondo il parere, e giuditio del Cellarario.

Per

Per allogo del Tauuto,e Coltra,purche non ſia di ſeta,carlini ſei.

Per Coltra,e Caſſa,ſeù Bauullo di Velluto carlini quindeci.

Se ſarà di tela d'oro, ò d'Argento carlini venti.

Per allogo del Tauuto ſolo, ouero della Coltra ſola la metà della detta ſomma, come di ſopra.

Per allogo della Croce d'Argento carlini due.

E per la corona d'Argento carlino vno.

Per l'eſequie de' Poueri s'eſortano i Beccamorti à fare gratis,coſa di Chriſtiana Pietà.

Mà ſe li ſudetti Beccamorti non voleſſero ſtare alla ſudetta taſſa,e dimandaſſero più di quella,ſiano obligati li Cellarari chiamar altri,ancorche fuor del lor meſtiere ſotto pena di ducati diece d'applicare a' luoghi Pij.

E circa il pigliare,accordare,ò far chiamare l'eſequie, neſſuno di eſſi ardiſchi farlo,ſolo,che quelli,a quali ſtà ordinato nel libretto ſotto pena di Scommunica, & altre à noſtro arbitrio.

Et accioche la Taſſa predetta ſia oſſeruata puntualmente, e non ſi poſſa dalli medeſimi Beccamorti in ciò allegar cauſa d'ignorãza, ordinamo; che l'eſemplari del preſente noſtro Editto ſiano affiſſi alle porte delle Chieſe Parochiali di queſta Città di Napoli. Dato dal noſtro Palazzo Arciueſcouale di Napoli li 4. Ottobre 1675.

De Eccleſiarum Cultu, & Supellectili.

I.

Ex Actis Eccleſ. Mediol. ſub D. Carolo p. 1. cõcil. Prou. 4. & Aliàs in Synod. Neapolitana Eccl. & à D. Chryſoſt. vndè commendatum.

AD Mulierum,& Virorum conſortia,quam decet,euitanda, præſertim in Eccleſijs, alijſque locis ad diuinas laudes,& ſacrum cultum deſtinatis,hortamur enixè Omnes Eccleſiarum tam ſæcularium,quàm Regularium Rectores,Præfectos,aut quocumque alio nomine Eccleſiaſtico cultui Præpoſitos,vt ſegregent à cæteris clauſtra,ſiuè ſepta, aut ſaltem ſubſellia Fæminarum,in parte eiuſdem Eccleſiæ remotiore, & præcipuè vbi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum diſtribuendum ſit.

II.

ARcenda multò magis ſunt à Domo Dei vana colloquia, & confabulationes,& quæ per magnum ſcandalum au-

ctore

ctore ſatana, iàm ſacrilegus nimis abuſus in templa inuexit, deambulationes, vociferationes, atque clamores cum maxima libertate,atque vtinam aliquando (quod recordari abhorremus) non immodici riſus, & chachinni, non iocoſa dicteria,non turpi loquia nimis temerè miſcerentur cum Numinis indignatione,& Fidelium pernicie. Pudeat certè eos qui Catholicam fidem profitentur in hoc cultu eſſe infidelibus deteriores clamante Hieronymo. *Platonici quoque, & Stoyci in templorum locis, ac porticibus verſabantur vt ad moniti Anguſtioris loci ſanctitate nihil aliud, quam de virtutibus cogitarent.*

l. 2. in Iouinian.

III.

VT tantum nefas auertatur, recordentur Omnes, quæ Lugdunenſi Concilio olim à Gregorio X. & poſtmodum à Sanctiſſimæ Memoriæ Pio V. ad tollenda ab Eccleſijs colloquia, congreſſus, deambulationes, & ad earum cultum ſancita ſunt quæ obſequi accurate ſatagant. Qua de cuſa Concionatores ſepè, & ſeriò increpent è ſuggeſto, & Parochi ab altari Tranſgredientes tam ſanctum mandatum, atque inſuper Eccleſiarū Rectores,Alijque ad quos ſpectat,tales Tranſgreſſores in fraganti deprehenſos arguant, quod ſi Hi benignè admoniti ab à vſu temerario non deſtiterint,ſi Laici ſint excommunicatione feriantur, ſi Eccleſiaſtici verò ſubijaceāt pænis in ea Conſtitutione ſtatutis.

Cap. 2. de Imm. Eccl. in 6
Pius V. in Bulla, quæ incipit. Cū primū Apoſtolatus *6. Kal. Aprilis 1566.*

IV.

MEminerint pariter Eccleſiarum Moderatores, Parochi, Curati, Vicarij, Præfecti,Sacriſtæ,cuiuſcumque etiam Ordinis Regulares adamuſſim ſeruare, quæ in eodem B. Pij V. diplomate præcipiuntur circa Pauperas Mendicantes, ſeù eleemoſinas petentes; expedit enim per quam maximè vt ad Valuas Eccleſiarum per Deputatos Miniſtros eijciantur vicitantes in Eccleſijs, vbi diuinum pabulum Fidelibus diſtribuitur, vel in concionando, vel inter ſacras pſalmodias, vel inquibuſcumqne ſacrorum miniſterijs procul ab omni quieti animi diſtractione.

Pius V. ibid.

V.

ANte enim verò Laicis Eccleſiaſticos decet præcipuè ſi Sacerdotes ſint, in modeſtia, reuerentia, cultuque Ec-

D cle-

cleſiarum. Atque adeo non in templis ſolum, ſed in ſacriſtijs diuino cultui omnem reuerentiam, decentiamque accuratè exhibeant. Nunciatum enim fuit Nobis, (nec excepimus ſine lacrimis) alicubi quoſdam Sacerdotes paulò poſt ſacrificaturos, & iàm ſacris veſtibus indutos obloqui, ridere, longos ſermones protrahere, & his ſimilia peragere in Sacriſtijs non ſine admiratione ſæcularium, qui forte adſtant, nec ſine probro Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Præcipimus igitur ſacriſtis, aut quibuſcumque Alijs ſimilibus Officialibus, vt ſtatim ad Nos horum delinquentium nomina deferant ſub pæna decem ducatorum, & contra delinquentes ipſos ſex ducatorum pæna decernatur, quæ pænæ Eccleſijs, vel Pauperibus erunt illicò applicandæ. Quibus etiam pænis, ſubijaceant ijdem ſacriſtæ, ſi ſacerdotes admittant ad celebrandum ſine veſte thalati, aut pariter cum armis, aut comatos, & multò magis cum fictitia cæſarie ex alienis capillis inſerta.

VI.

SI quæ Eccleſiæ aut ex parte collabentes, aut in ruinam pronæ, aut pariter malè ſartæ, ſiue quouis modo deficiētes reperiantur, ſtatim admonendi ſumus. vt tempeſtiuè ad eas reficiendas, aut reparandas operam illorum, quorum intereſt, adijciamus, vel vt opportuno remedio occurramus.

VII.

FEneſtrarum aditus, aut lignis, aut telis occludi poſſunt, vnde facilè ventorum turbines, auiumque volatus ſæpè in fornicibus Eccleſiarum cum dedecore nidificantium, ſacrorumque deuotionem interturbantium, excluduntur, nullæq; feneſtræ etiam cratibus permittantur, per quas proſpectus in Eccleſias a Laicorum contubernijs aperiatur.

VIII.

C. Eccl. vel Altaria, & cap. placuit diſt. 1.

ORatoria, Sacella, & altaria de nouo excitari non decet inconſultis Nobis, & quin ſufficienter dotentur; quapropter ſi quouis modo ſine licentia opportuna hæc ædificari contigerit, contrà ea Attentantes pænas ad arbitrium ſtatuemus, ea interim interdicto ſupponentes.

Quò

QVò meliùs proſpicere rebus diuinis,earumque, miniſterijs poſſimus, vnuſquiſque Rector, aut quomodolibet Eccleſijs Præpoſitus de vniuerſa ſuæ Eccleſiæ ſupellectili,rebuſque vtenſilibus inuentarium conficiat,ſicut etiam omnes Parochi recentiores,& qui alias inuentarium rerum, & redditúum eorum Eccleſiarum non confecerunt, conficiant, confectumque intra tres menſes ab horum publicatione ad Nos deferat ſub pæna decem librarum ceræ, niſi aliàs antecedenter Nobis traditum fuerit.

X.

NVllibi in Eccleſijs,aut Oratorijs, vbi fæmiuarum confeſſiones excipiuntur, liceat eas ad hoc Sacramentum admitterr, niſi in expoſitis publicè coofeſſionalibus, vbi crates ferreæ cum ſpiſſis foraminibus diſcretæ diuidere poſſint cõfitentes à confeſſarijs, ſub pæna ſuſpentionis ab officio ipſis confeſſarijs irrogota.

XI.

TAbernaculum, quo venerabile Euchariſtiæ Sacramentũ reconditur,non modo decenter perpolitum, ornatumque ſit,ſed claui inaurata occludatur, quam non niſi Rector, aut Eccleſiarum Præfectus, & ille ſi Sacerdos ſit,apud ſe ſeruare debeat. Et ibi ſubiecto Corporali Sacra pixis,ſeu Ciboriũ magna cum reuerentia cuſtodiatur.Intrà binas autem quaſq; hebdomadas bis,aut ſemel ſaltem ſanctiſſimi Sacramenti Tabernaculum viſitandum, & cellula, ſeu arcula, vbi cunſtoditur,decore purganda.Renouandum itidem in Pixide, aut Ciborio, ſeu ſphęra conſumptis veteribus particulis, & nouis ſubſtitutis octauo quoque die idem Sacramentum. *In Concil. Lateranen. ſub Innoc. III. cap. 20.*

XII.

VT munditics,& nitor Diuinæ domus ad animorum candorem Chriſtianos inuitet,hæc inſuper mandamus. Parochi,aut quicumq;alij Sacerdotes Eccleſiarum, aut Oratorium miniſterijs addicti ſaltem ſemel in hebdomada Eccleſię pauimentum ſcopis euerrant;Parietis,& fornicem ab aranea-

 rum

Digitized by Google

rum telis vindicent, & excuſſo ab Altaribus puluere omnia componere ita curent, ac ſi cæleſtem Principem, quem inuiſibilem adoramus, viſibilem eſſent excepturi.

XIII.

Seſſ.22. in decr. de ob ſeru. in celebr. Miſſ.

AD irreuerentiam euitandam, quam Tridentinum Concilium adeò commendat Epiſcopis circà vagos, & ignotos, in nulla Eccleſia etiam Regularium ad celebrandum admittãtur exteri, aut quouis alio modo ignoti Sacerdotes, qui formatas, aut commendatitias litteras, imò & licentiam ſacrũ faciendi in hac Diœceſi à noſtro Vicario Generali ſubſcriptã oſtendant Eccleſiæ Præfecto, ſeu quomodocumque Præpoſito, ſub pæna ſex ducatorum, alijſque ad arbitrium decernendis, ſi ſęcularis fuerit, ſi verò Regularis ſub pæna interdicti eius Eccleſiæ ſtatuenda.

XIV.

ERadicanda omninò eſt illa, quæ contra Sacros Ritus in multis Eccleſijs inualuit conſuetudo, vt in Sacro Pentecoſtes die, ſeù in eius peruigilio columbæ, ſeù aliæ aues expediantur ad euolandum per aerem, aut Templi fornices, non ſine riſu, & ad curioſitatem circumſtantium, qui volitantes alites contemplantur, excirandam. Subijciantur itaque interdicto Eccleſiæ, vbi hæc peragentur, & Auctores excõmunicationi ſubdantur.

XV.

NVnquam in Eccleſiarum Altaribus, ſeù de nouo conſtruendis, ſeù iam conſtructis inſerantur nouæ aræ pro ſacrificijs deſtinatæ, niſi eas fuiſſe ritè conſecratas conſtiterit ab aliquo Epiſcopo per legitimi diplomatis documenta, ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ contra eos, qui huiuſmodi ſacros lapides collocant, aut ibi celebrare pręſumũt.

XVI.

CAueant diligenter æditui, aut alij, qui Eccleſijs pręſunt, ne fœminæ ad Altaria oſculanda, aut Altarium linteamina detegenda ſe conferant; Multoties enim contigit, aut ſaltem

con-

Digitized by Google

contingere poteſt, vt irreuerentia indè non modica exorta fuerit, vel inpoſterum exoriatur, atque vtinam aliquando etiā ſacrilegia grauiſſimis pænis vindicanda.

De vita, & honeſtate Clericorum.

I.

REgale Sacerdotium, & genus electum, qui vocantur in ſacris paginis, proh, quàm indecorum foret, ſi ſanctiſſimū vitæ inſtitutum conuerterent ne dùm in deprauatos Laicorū mores, ſed in ſcandala ipſis Laicis deteſtanda. Verēdum profectò Nobis eſt monitum illud Toletani Concilij 11. vbi Prælatis peccata imputantur ſubditorum, ſi illa emendare neglexerint: quapropter Nos ſeriò inuigiiabimus contrà Clericos, qui malè ſuos mores informant præter Sacrorum Canonum, & Synodalium Conſtitutionum ſanctiones; Præſertim vbi arcenda ſunt ſcandala, & peſſima mulierum conſortia.

II.

CVm ſicut accepimus, aliquando per Aeſtatem in obuio, atque expoſito littore maris, non ſine ſecularium admiratione, Clerici natantes, etiam cum Clericali tonſura dignoſcendi, viſi fuerint, non in loco ſemoto quidem, & procul ab excurrentium circum circà cymbarum frequentia (quod fortaſſe tolerandum foret) ſed non longè ab Vrbe, & in ipſa patenti Pauſilipi maritima Ora, hoc ſpectaculum indecentiſſimum duximus, & pro indecentia æquè arguendum, cum nefas ſit Clericos, ſæpè etiam inter laicos commixtos, & denudatos in aquis laſciuire. Hac de cauſa tanto abuſui prouidere volentes, contra eos pænam ſex ducatorum indicimus in pauperum vſus conuertendam.

III.

SAcerdotis filia deprehenſa in ſtupro violaſſe nomen patris olim credebatur. Quantò magis, ait Chryſoſtomus, ſimilem pænam promereri perhibendus eſt Sacerdos ipſe turpiter lapſus, non in veteri, ſed in noua lege, cui cum Apoſtolo dicendum eſt; tollentes Corpora Chriſti facietis membra meretri-

retricis,abſit. Caueant igitur Clerici nè in ſuſpecta mulierum contubernia ſe ingerant: nàm ſeueriſſimè hæc ſcandala mulctabimus, parcentes nulli.

IV.

NEque ſolum remouenda eſt à Dei miniſtris fornicatio, ſed omnis ſuſpicio falſa, monet Auguſtinus,& frequens cum mulieribus conuerſatio. Hac de cauſa Clericis prohibitũ ſit, puellis quibuſcumque, aut fæminis canendi, vel ſonandi ſuum magiſterium locare, aut quomodolibet exhibere, niſi obtenta à Nobis prius licẽtia, eos idoneos ad id muneris reddiderit ſub pæna carceris formalis ad arbitrium noſtrum.

V.

LVſorium follem, aut qui ligneis malleis detrudi ſolet, folliculum, vel pilam per plateas, vbi publicus aditus eſt; nulli Clericorum fas ſit agitare ſub pænis ad arbitrium iudicandis; ſi autem ludi huiuſmodi priuatè recreationis cauſa exerceantur à debita modeſtia eoſdem non deturbẽt per iurgia, rixas,& contentiones.

De ludi Magiſtris,& Sacræ Cathecheſis Magiſterio.

I.

PAruulos ſectari ſapientiam decet, vt ſcientiam ſumãt, monet Salomonis oraculum. Quis iſte porrò ſapiens fuerit, niſi Magiſter, qui eos inſtituit ad diſciplinam. Igitur præcipuè mandamus, vt pueros in vtraque Doctrina Chriſtiana memoriter addiſcenda, quotidiè exerceant; die verò Sabbati ea memores diſcipuli repetant, quæ circa hunc Cathechiſmum tota hebdomada perſoluerunt.

II.

NE dùm Magiſtri in Scholis, ſed Parochi in Eccleſijs ſuis, feſtiuis quibuſque diebus, Doctrinam Chriſtianam per ſe ipſos edoceant pueros, niſi huic curæ ex legitimo impedimen-

mento ſubſtituere alium peritum Sacerdotem interdùm neceſsè fit, quæ ſi neceſſitas duret, admonendi ſumus tempeſtiuè nos, vt maturiùs conſulamus, ſub pænis ad arbitrium.

De Sacris Indumentis, & eorum abuſu.

I.

CVm in ſuperiori Synodo excomunicatos ipſo iure cenſuerimus Laicos illos, qui in maiori hebdomada ſacerdotali alba induti Ciuitatem, & Eccleſias circumeunt, appoſitis etiam pænis contra eos, qui accomodauerint ſacras eas veſtes, intelligant omnes non ſolum eo tempore, ſed ſemper militare, & eandem rationem legis, & eandem legem, vt nefas ſit vnicuique Laico non ſolum ſacerdotalem albam, ſed quoſcũque ſacros habitus induere ſub pæna excomunicationis latę ſententiæ, & quibuslibet Eccleſiaſticis talia indumenta ijſdem Laicis accommodare ſub pænis ad arbitrium reſeruatis.

II.

MVltò magis deteſtandum foret, puniẽdumque, habitum Religioſum, vel Monachalem ad irriſionem, & ſpectacula ad laſciuias, ad laruas, ad baccanalia, ad Theatra conuertere tàm profanè, tàm ſacrilegè, quod ipſæ leges ciuiles grauibus pænis vindicandum exponunt (*in Auth. de Sanctiſſ. Epiſc. §. fin. Collat. 9.* & ad Sacrorum Canonum mentem DD. omnes vnanimiter reprehendunt. Nos igitur in hæc attentantes, Imò in vſurpantes, vel in ſcænis, vel in baccanalibus habitus ſacros, ſiue Religioſos, ſiue habituum Religioſorum ſimilitudinem Omnipotentis Dei iram exoneramus cum fulmine excommunicationis latæ ſententiæ, & Nobis reſeruatæ, ſaluis alijs pænis à Iure ſtatutis.

De Confraternitatibus, & Proceſſionibus inſtituendis.

I.

QVandoquidem non raró grauesones, contenti, & rixæ inter Confratres diuerſarum ſo procdalitatumeſſiones inſtituen-

ſtituentium coortæ ſunt, magno cum ſcandalo, & Dei indignatione, qui Crucem geſtauit in humilitate, nec ſequendus eſt in ambitione, & ſuperbia, firmiter decernimus nè poſſint aliæ Confraternitates accurrere ad aſſociandum Venerabile Altaris Sacramentum intrà octauam Corporis Chriſti, prærer illam, quæ inter fines Parochiæ continetur; quæ ſi plures reperiantur, proximior primo anno accedet, & poſteà per vices ſemper proximiores, dummodò ſingulæ ſemper ſint, ſubſtituentur. Aliàs excomunicati ipſo facto cenſeantur, qui contrauenerint noſtro huic decreto.

II.

Conſpectæ aliquando ſunt, nec ſine admiratione, in quibuſdam proceſſionibus; præſertim nonnullorum Regularium, fæminæ, ſeù puellæ vario ordine comptæ, binæ inuicē procedentes, non ſecùs ac ipſæ etiam Proceſſionem inſtituerent, aut iam ab ipſis Regularibus inſtitutam comitarentur (Imò quod minimè tolerandum eſt) ita puellæ ipſæ induuntur aliquando, vt varia myſteria repræſentēt etiam cum thuribulis, crucibus, coronis, alijſque Eccleſiaſticis, ſeù Sanctorū inſtrumentis. Hæc omnia ſub pæna interdicti Eccleſiæ, ad quā procedunt, prohibita cenſeantur.

De Sacris Repræſentationibus.

I.

Cap. cum quid de Reg. Iur. in 6.

Vbi vna via per leges aliquid prohibetur ad idem alia non debet admitti; tritiſſimum eſt iuris axioma. Cum in ſuperioribus Synodis vetuerimus, ne ſacræ Repræſentationes, præſertim in triuijs haberentur ſine noſtra ſpeciali licentia, ſtatim fraus occurrit legi, & loco vocalis loquelæ ſucceſſerūt mimici geſtus ad ſacras actiones Domini, ſeù Sanctorum cōformatas, eas videlicet, quas Mimi, ſeù Pantomimi exercent varijs membrorum geſticulationibus, & ſimulationibus in ſcenis expreſſis; Talia autem ſcenica ſpectacula eodem iure, & ſub iiſdem pænis interdicimus, nimirùm excommunicationis contra Laicos, & ſemeſtris carceris contrà Clericos.

De